

enim elementa quædam principia demonstra-  
 ta, & ab omnibus supposita, vt à probationibus,  
 & effectionibus communibus, & frequentibus  
 abstinere liceat. Itaque illud ostendendum, &  
 elementis adiungendum iudicavimus. Cæte-  
 rum cum magnitudinum reciprocarum, vel  
 vtraque linea recta, vel vtraque planum esse  
 possint, vel denique mixtum ex vtraque altera  
 sit linea recta, & altera planum (quo in casu  
 summa, aut differentia petitur ab ipso plano, &  
 potentia rectæ) hoc loco de duobus primis ac-  
 cidentibus, quæ ad problemata plana perti-  
 nent, agemus. Tertium verò, & quæ ex eo  
 oriuntur ad problemata solida spectantia, vt in  
 nostræ methodi explicatione commodius pro-  
 cedere possimus, speciali tractationi solidorum  
 reservabimus. Hoc tamen animadvertum volu-  
 mus, problema planum ideò vocari, non quia  
 in illo de planis agitur; sed quia illius construc-  
 tio vna ad summum media proportionali indi-  
 get. Solidum vero non quia solida tractantur,  
 quod in problemate plano contingere solet; sed  
 quoniam duas saltem medias propor-  
 tionales oportet inue-  
 nire.

PRO-